

27.

27.

Q. D. B. IV.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
INVERSIONE UTERI,

Quam
CONSENSU ET AUTORITATE
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN ACADEMIA REGIA VIADRINA
SUB PRÆSIDIO

DN. JOH. GEORGII à BERGEN,

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.
P. t. FACULTATIS MEDICÆ DECANI
PRÆCEPTORIS SUI OMNI HONORIS CULTU
PROSECVENDI,

PRO GRADU DOCTORATUS
SUMMISQUE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS RITE ET LEGITIME
IMPETRANDIS

DIE XIV. NOVEMB. MDCC XXXII.
HORIS CONSVETIS

IN AUDITORIO MAIORI
DEFENDET

AUCTOR

CONRADUS WESENFELD,
Francofurt. Marchicus.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
Litteris TOBIAE SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.

DISSERTATIO LITERARIA MEDICO

INVERSONE UTERI.

GRATIOSA LITERARIA MEDICO
IN ADOPTATIONE HISTORIA

DE PROGENITORES

PRO GRANDIS DOCTORIS

GRATIOSA LITERARIA MEDICO
IN ADOPTATIONE HISTORIA


DE PROGENITORES

PRO GRANDIS DOCTORIS

GRATIOSA LITERARIA MEDICO
IN ADOPTATIONE HISTORIA

DE PROGENITORES

PRO GRANDIS DOCTORIS



PROOEMIUM.



Occurrentibus biennio propemodum ab-
hinc Argentorati mihi, sub fideli ma-
nuductione D.N.D. FRIED. Viri in
Medica pariter ac Obstetricia
Praxi Expertiss. & Dexterimi
arti Medicæ juxtaque obstetriciæ operam sedulam
navanti permultis casibus & morbis, quibus gravi-
de mulierculæ cum extra, tum in partu, quin post
eundem infestari solent, hisque omnibus serio & æqua
animi lance probe pensatis, nunquam satis deploran-
da mihi visa est sexus sequioris conditio, potissimum
ex hoc, quod non illos solum, quos potior sexus, sed
plures sibi peculiares in sexum masculinum plane non
cadentes sustinere cogatur morbos. Sub durissima
sane fatorum lege nasci videntur foemellæ (verba sunt
Doctiss. GUALT. CHARLETONIS Inquis.Med.
Physiol. cap. i.) Pereunt saepè, nisi pariant; sa-
pius autem pariendo pereunt, animam cum ipso

A

fœtu

fœtu enitentes, vitamque, quam fœtui dant, a-
 mittentes. In pari versantur discrimine, sive
 perfruantur virorum confortio, sive hoc careant,
 nec paucioribus malis objiciuntur, quæ steriles
 manent, quam quæ liberorum multitudine gau-
 dent. In hac morborum serie, quibus venustior qui-
 dem, sed vel hoc ipso infelicior, sexus est obnoxius, non
 insimum obtinet locum uteri inversio, adfectus per-
 quam rarus, atque propterea à multis vel præter-
 missus, vel obiter saltem notatus, vel inter recentio-
 rum plurimos quam maxime controversus, aliis eun-
 dem affirmantibus, aliis in dubium vocantibus, aliis
 prorsus negantibus, ac ceu rem fabulosam, factu im-
 possibilem, statui uteri repugnantem repudiantibus.
 Quo igitur in tanta rei difficultate patescat, quid fal-
 si aut veri subsit, & quid recti sanique de inversione
 uteri tenendum sit; Operæ pretium esse duxi, in re
 tam ambigua vires ingenii periclitari, ac quid pro
 virili valeant humeri, specimine hoc Inaugurali de-
 clarare. Evidem ingenii imbecillitas, eruditio nis
 defectus, & quæ hujus meæ tenuitatis plures sunt ra-
 tiones, ab hoc proposito deterrere me potuissent, sed
 memor triti proverbii, quo audaces fortuna juvat,
 ab hoc cœpto desistere dubitavi, virorum potius eru-
 ditione insignium, ac experientia clarissimorum, ob-
 servata selectissima super hoc argumento B. L. can-
 dide relaturus, meisque qualibuscunque cogitatis sub-
 junctis

junctis, aliis mactæ eruditionis Viris stimulum additurus controversam hanc rem sollicite examinandi. Cui labori Clementis. Numen benigniter annuat, mihi Divina gratia sua assitat, humillimis contendo precibus.

§. I.

Priusquam ad considerationem inversionis uteri veræ tam theoreticam quam practicam me accingam, justam ejusdem præmittam definitionem necesse erit. Quævis proin uteri procidentia in genere sumta, est loci ac situs uteri naturalis in preternaturalem mutatio, eaque deorsum facta, vel in vaginam tantum, vel extra verenda plane. Specialior vero inversio uteri ea est procidentiae species, in qua fundus uteri per ejus orificium in imo extra vaginam statim post partum prolabitur, ubi uterus sic delapsus nullum osculi sui monstrat vestigium, quoniam illud similiter inversum est, sed nihil aliud esse videtur, quam sanguinolentæ carnis frustum, scroti speciem quodammodo referens.

§. II.

Satis ergo apparet, affectum hunc ad conformatio-
nis malæ morbos, qui figura seu forma, numero, magnitu-
dine & positu vitiatis absolvuntur, referri debere, specialius
vero ex classe horum morborum ultima esse, possum scil. u-
teri vitiatum, ad quem situs mutatus scil. præternaturalis me-
rito referendus est; Etenim, vtero in foeminis, iisque etiam
gravidis, in pelvi satis altus datus est à natura locus, ast
in aliis inversionem uteri passis, saccus hic carnosus

A 2

admo-

* (4) *

admodum profunde in vaginam delapsus observatur, ita ut digitis palpari queat, vel plane extra verenda prolapsum visui se conspiciendum præbeat.

§. III.

Quibus rite pensitatis, cum §. I. mentio fuerit facta procidentia uteri in genere dictæ, inversionem uteri cum reliquis speciebus sub se comprehendentis; nunc ipsum hoc argumentum, quo omnia ordine expediam, mihi injungit, ut, antequam descriptionem inversionis uteri specialiorem plenius persequar, controversiam, an re ipsa uteri procidentia detur? accuratius pertractem, atque humus rei veritatem extra omne dubium collocem. Quod ut clare non minus, quam solide, demonstrem, ratione ac experientia præludentibus, pro virili præstare admitar.

§. IV.

De vagina uteri nunquam lis mota fuit, de prolapso autem uterini possibilitate ab omnibus fere Medicis ad nostra usque tempora asserta, quin ipsi HIPPOCRATI credita, primi dubitarunt M. ETTMULLERUS cum DAV. BECKIO, & inter Bataviæ Lumina J. HORNIUS P.BARBETTE FR. DECKERUS, qui procidentiam uteri absque violenta protractione, eamque ab internis faltem causis factam negant, uterum vel plane non, vel faltem non nisi summa vi causisque externis loco moveri, prolabi, atque difficulter admodum in pristinum locum reponi posse existimantes. Alii autem, quorum in sequentibus mentio fiet, & cum quibus imposterum mihi res erit, omnem uteri procidentiam ex quacunque causa profectam præfakte negarunt.

§. V.

Utrique uno eodemque maxime argumento, à firma uteri cum partibus vicinius connexione petito, nituntur. Attamen quum, casus tales sepiissime in praxi obſtetrica- li occurrere, sepius quoque sine difficultate & felici cum ſuccēſſu fanari, in confeſſio fit: Hinc contradicentes in eam abiere opinionem, corpus tale rotundum, extra ve- renda pendulum, fuſſe vel portionem tunicae rugosæ ac laxatae vaginæ prolapsam, vel excrescentiam carneam è va- gina enatam. Quodquidem pro rorū negari non potest, ſepiuſ ſcil. hanc pro vero uteri deſcenſu fuſſe acceptam, multoq; imposuſſe. Nihilominus tamen uterum revera & prola- pſum & inverſum deprehendit ſuſſe, autopsia tam in ſubjectis adhuc vivis, quam poſt mortem inſpectis apertis- ſime demonſtravit, id quod ſatis ſuperque teſtantur obſervationes omni exceptione maiores, à nobis deinceps adducendæ.

§. VI

Inter adverſarios, qui poſteriori ſententiæ addicti ſunt, eminet THEOD. KERKRINGIUS *Anatomicus Preclarus*, uteri procidentiam strenue negans, & ſuper ea re falſe ni- mis perſtingens. JOH. VESLINGIUM, THOM. BAR- THOLINUM & ANDR. LAURENTIUM, quaſi inter alios admodum male illi hac de re judicaffent. *Obſervat.*
Anat. XX. tandemque concludens his verbiſ: *Nemo vidit, ſenſit, decepti ommes imagine falſa alios decipiunt; laxitas que- dam colli, que extra pudendum prominet, bac nobis fecit ludibria.* *Idem Obſ. Anat. LIII.* pro firmando tamen hoc ſuo af- ſerto adducens exemplum, ubi farcoma, interno uteri ori- ſicio adnatum, totamque vaginam occupans & foras pro- pendens, uteri procidentiam falſo exhibuit, ulterius ad-

huc referens, se ipsum, dum puellam secaret, similis farcomatis invenisse rudimentum, atque exinde judicans, quod si tempore id adauctum fuisset, eadem ratione incautis Chirurgis atque Medicis sine dubio imposuisse, qui uterum, semper constanter loco suo consistentem, tanquam procidentem cum plerisque Anatomicis accusant,

§. VII.

Pari vehementia ac animositate, licet minori jure, CAROL. MUSITANUS *de morb. mul. cap. 8.* invehitur in Medicos, qui pro veritate procidentiae uteri militant, hanc ob firmam uteri per ligamenta suspensionem absolute negans, invertique uterum nullo modo posse, ex figura ejus, qua fundus amplior, collum vero angustius existat, evictum putans. In quo consentientem etiam habet HENR. ROONHUSIUM *Chirurgum Amstelodamensem*, qui inversionem uteri, ob crassitatem tempore gestationis notabiliorem, impossibilem judicat, utpote impudentem, quo minus post partum instar marsupii inverti & cum secundinis protrahi, aut protractus in cavitatem suam reponi iterum possit.

§. VIII.

His omnibus calculum adjicit JOB. VAN MECKREN *Obs. Med-Chir. cap. 54.* procidentiam uteri figmentum appellans, aliorum sententiam ratione pariter ac experientia destruens, primum se praestitisse putans ex firma ligamentorum uteri structura, firmoque horum cum vicinis partibus nexus, alterum quibusdam saltem casibus, quos tamen rariores esse confitetur, idque sufficienter testatum sibi imaginans; ubi scilicet vel excrementia quedam, vel

vel vaginæ pars elongata, procidentiam uteri mentientes, falso pro tali habitæ fuere à Medicis. Ex quibus, paucis licet exemplis, summa arrogantia concludit, Medicos & Chirurgos semper his & similibus fuisse deceptos, quandoquidem in rei veritatem, quo decebat studio, nunquam inquisiverint, sibi autem soli licuisse rei veritatem obser- vare. Eiusdem sententiae, paulo tamen mitioris, esse vide- tur PAUL. BARBETTE *Chirurg.* lib. 1. cap. 8. inquiens: *Uterus non facile laxitate, multo minus disruptione latorum li- gamentorum prolabitur, uti maxima Scriptorum pars sibi imagi- nantur; Gravi nisu autem parturientium & inculta secundine extractione fundum uteri inversum se cum aliis vidisse fateri* haud veretur.

§. IX.

Errori autem ansam dedisse constat partim rarius o- ccurrentia prolapsus uterini exempla, quibus factum est, ut perpauci vel oculis viderint, vel manibus palpaverint uterum; Partim longe major frequentia prolapsus vaginæ quam uteri; Partim denique aliorum hallucinationes, circa dignoscendam vaginæ aliarumque excrescentiarum à vera uteri procidentia commissæ. In cuius rei fidem no- tabilis legi meretur historia apud TH. BARTHOLI- NUM *Histor. Anat. Cent. 2. His. 58.* sub titulo: *Excrescentie uteri prolapsum mentientis.* Quare perperam à falsa tali procidentia, excrescentia, seu farcomate vagina propen- dente, ad negationem plenariam veri uteri lapsus afferen- dam plerique Autorum fuere inducti.

§. X.

Quo igitur rei veritas tot contradictionibus fere op- pressa, tandem indubia prorsus in apricum proferatur, nunc demum

demum, mihi dispiciendum restat. Latet neminem, retinacula uteri constituere peritonæum cum ligamentis propriæ dictis. Hæc conjunctim uterum cum ossibus aliisq; partibus firmioribus connectunt, ac stabilem reddunt, ne facile prolabatur; Multum speciatim præstat peritonæum, tanquam commune viscerum infini ventris retinaculum. Tanti tamen roboris hæc non sunt, quin ab interpositis particulis serosis ita subinde laxentur, ut deinceps, accidente varia tensione nisique sequacia admodum elongentur plurimum, & uterum, quem continere debebant, descendere & foras prolabi sinant. Maxime vero hoc negotium illustrat humectatio corii, ceu analogiam quandam cum fibris membranarum corporis nostri habentis: Id enim humectatum mirifice quaquaversum extenditur. Dum vero retinaculorum uteri dictorum sepe admodum violenta fit extensio, (e. g. quando foeminae & ex his vel ipsæ virgines pondera majora attollere, vel fossas magno corporis nisu transfilare conantur,) fibræ horum simul sepe rumpuntur, modo plures, modo pauciores.

§. XL

Neque defunt variorum authorum argumenta, quæ in rei fidem jam prolixius adferri possent; Ast enim vero ex multis pauca adducere tantum volupe est. Ita, si copiosus frigidorum humorum affluxus coxendicis articulum adeo laxare valeat, ut ossis femoris caput acetabulo excidat, mirum non esse, si eadem causa ita quoque relaxet uterum cum suis ligamentis, ut ab his sustineri amplius nequeat, sed deorsum ruens foras prolabatur, argumentatur ISBRAND DE DIEMERBROECK *Anatom.*
lib. i. cap. 25. Cui in hoc pollicem premit REGN. DE GRAAF

GRAAF de mul. org. cap. 10. p. 206. scribens: & rationem dicere, à toto corpore defluentes humores ligamenta ute-
ri laxare posse, & experientiam confirmare, humidioribus locis id ipsum sæpius accidere, itemque ex eo, quod uterus tempore coitus breviori peni obviam veniat, non majori difficultate premi judicat, quam si idem, ligamentis membranosisque partibus, quibus detinetur, relaxatis, descendere quoque in sinum valeat *ibid. pag. 207.*

§. XII.

Notandum tamen, quam maxime hæc intelligi oportere de mulieribus, quæ temperamenti sunt frigidi humidique, hincque pituitosis abundant humoribus, vel plane fluore albo laborant. Quibus addere convenit, proximam procidentiæ causam esse cervicis uteri connectus fibroſi cum partibus vicinis solutionem quandam, factam ab utero deorsum descendente: Ut autem uterus descendat, ligamenta ejus laxata vel extensa causam subministrare possunt. Ista vero ultra modum relaxari atque extendi, quicunque impossibile esse censevit, consulant HENR. à DEVENTER *Artem obstetricandi*, advertantque, in quantam molem fundus uteri in gestatione extensus supra ligamenta adscendat, & fateantur necesse erit, id ipsum non nisi à ligamentis quam maxime extensis & elongatis arcessendum esse. Quale quid idem videtur est in utero puerperæ, à FR. RUYSCHIO in *Thesaur. Anat. IX.* No. XV. conservato, ubi vel ex solo adspectu patet clarissime, ligamenta tempore gestationis ob extensionem fundi uterini ab hoc longius distare. Plura equidem, eaque longe solidiora argumenta, ex observationibus obstetricantium in promptu mihi essent, quæ veri-

B

tatem

tatem procidentiae uterinæ extra omnem dubitationis aleam ponerent; Sufficiat vero L. B. veritatis avidum ad HENR. à DEVENTER *Tract. de Arte obstetricandi* p. 74-76. itemque 139-200. alegasse, atque jam dudum CAROL. MUSITANUM vere pariter ac solide à ROSINO LENTILIO in *Eteodromo Med. Practico* p. 1334. refutatum esse.

§. XIII.

Nec vix opus est prolixa argumentorum serie veritatem procidentiae uterinæ fusius demonstrare, quum pleraque adversariorum argumenta non tanti sint, ut hanc, multorum oculis usurpatam, manibusque palpataam suppressimere valeant. Autopsia enim, optima illa & incorrupta judex controversiarum Medicarum, satis superque plerosque confutat, utpote docens, uteri procidentiam veram, plus simplici vice, à viris fide dignissimis, rerumque anatomicarum maxime gnaris, fuisse annotatam, & hinc inde in scriptis suis descriptam, cum variis uterorum prolapsorum iconibus. Ita, post debitam inquisitionem comperisse se, non vaginam tantum, sed & ipsum procidisse uterum, internumque matricis os se sentire potuisse, quod extrinsecus tanquam os cyprini apparuit, asserit STALP. VANDER WIEL *Obs. Med. Anatom. Cent. I. Obs. 69.* & AMBROS. PARÆUS ceu ocularis testis, fræminæ cuidam parisiensi uterum prolapsum & sphazelo corruptum abscessum fuisse, post mortem autem eundem quesitum nusquam comparuisse, testatur *Oper. Lib. XXIII. Cap. 41.* Quale quid propria etiam experientia confirmat JOH. CONR. PEYERUS *Epbem. Germ. Dec. an. I. Obs. 84.* Quibus certe viris, ut præstantissimis Medicis, atque istius rei oculatis testibus, oculos tanto glaucomate

comate obfuscatos fuisse, ut uterum prolapsum non cognoscerent, adfirmare non facile quisquam ausit? Ut jam plures alios, qui idem observarunt, relinquam intactos, quorum testimonia oppido multa, exemplaque omni dubitatione majora, ab iisdem, in primis à *Celeb. FRID. RUY SCHIO* relata, in sequentibus loco suo extabunt.

§. XIV.

Utcunque vero multiplex experientia procidentiam hanc dudum confirmaverit, quasique evictam dederit; Non desunt tamen hodie adhucdum, qui eandem in dubium non tantum vocent, sed plane inter fabulas & figmenta referant, quinimo pro re plane impossibili habeant. Quo igitur controversia hæc eo clarior reddatur, ac eo solidius, per duo illa Medicinae fulcra, Experientiam nimirum atque Rationem, decidatur; Procidentiam uteri nomen esse generale statuo, tres sub se comprehendens species, quæ, cum haçtenus non bene invicem distinctæ fuerint, confusione, imo sententiæ authorum ansam dererunt, omnem uteri procidentiam negandi. Nonnulli enim, qui de procidentia uteri scripsere, in prolapsu uterum necessario simul inverti, alii contra inversionem hanc impossibilem factu, rursus alii uteri prolapsum nil nisi vaginalę lapsum esse asserunt. Mitto confusionem, ab excrescentiis variis, procidentiam uteri mentientibus, enatam. Quem Scriptorum dissensum ingentem, ne simpliciter allegasse, nec sufficienter probasse videar, eundem ex genuinis fontibus comprobare operæ pretium duco.

§. XV.

Uteri ergo prolapsum ex laxitate vel disruptione
B 2 ligamen-

ligamentorum negat, ejusdem vero inversionem experientia propria confirmat, vaginæ quoq; procidentiam admittit, hancque Chirurgiæ imperitos pro ipsius uteri lapsu sumpsisse, arguit P. BARBETTE *Chirurg. Cap. VIII. p. m. 46. 51.* Inversionem uteri atque vaginæ prolapsum explicat, atque exemplis firmat, nec aliqualem uteri descensum à relaxatis ligamentis negat; ast uterum eo usque procidere, ut orificium internum appareat oculis, nunquam vidisse fatetur, atque id impossibilitatem involvere, propter figuram & situm uteri, sibi imaginatur LA MOTTE *Traité des accouchemens chap. II.* Procidentiam uteri in perfectam & imperfectam distinguit, inversionis autem nullam plane facit mentionem DAN. SENNERTUS *de Morb. Mul. Lib. IV. P. I. Sect. 2. c. 16.* Peculiarem vero de inversione sibi formavit ideam in *Arte sua Obstetric.* CHRISTOPH. VOELTERUS p. 278. ita scribens: Contingit quandoque in partu difficulti, præprimis autem, si secundina, mola, aut monstrum quod-dam, fundo uteri adnata, violentia quadam extracta fure, ut puerpera corpus quoddam in vaginam prolapsum, sentiat, quod, nisi mox auxilium feratur, sensim sensimq;, aggrandescit, atque marsupii instar se invertit. Quod autem non ita intelligendum, quasi uterus ipse, interioribus partibus redditis exterioribus, inversionem hanc patiatur, ut nonnulli persuasum habent, sed uterus transit, seu perrumpit per vaginam suam ita, ut hæc se invertat, & uterum prolabi finat. Quo cum quodammodo consentit, uterum procidere quidem, ast prodire extra vaginam & inverti, sicut vulgo putatur, nullo modo posse statuens, idque ipsum duabus allegatis observationibus demonstrans FELIX PLATERUS *Obs. Med. Lib. III.* Quam opinionem in *Prax. sua Tom. III. p. 534.* pluribus argumentum-

gumentis evincere adnititur. His vero è directo oppositam fovet sententiam JSBR. de DIEMERBROECK *Anatom.* Lib. I. cap. 25. p. 139. uterinæ procidentiae veritatem contra alios defendens, ac uterum in isto prolapsu necessario inverti simul, & nullo modo exire posse, rationi consentaneum reputans. Præter hos, reliqui supra citati THEOD. KERKRINGIUS. C. MUSITANUS & JOB van MEEKERN uteri cum vaginæ lapsu confundunt.

§. XVI.

Prædictus vero authorum dissensus, maximam partem ex neglecta diversarum specierum, sub generali nomine procidentie uteri comprehensarum, distinctione ortum traxisse videtur. Quare hanc in tres potissimum species distinguo non incommode, ita ut procidentia uteri seu nomen generale omnem uteri ut & vaginæ statutum præternaturalem sub se comprehendat, in quo vel fundus uteri, vel orificio hujus, vel vagina, è loco naturali in procliviorem descendit. Quando ergo (1) superior vel inferior vaginam intus ambiens admodum rugosa tunica, vel à causa violenta, ut per partum difficultem extrosum protruditur, vel à causa interna & lenita, ut per fluorem album diuturnum relaxatur & elongatur, & hinc extra vaginam propendet, tunc status hic morbosus quidem, sed non nisi impropre, procidentia uteri appellari meretur, rectius autem elongatio sive lapsus vaginae uteri audit. Vera autem (2) & propria illa faltem est procidentia uteri, quando pars ejus inferior globosa, cum sua prominentia & rima donata, modo ad exitum usque vaginæ, modo extra partes genitales, tatuui non tantum sed & visui se se fissit. Ex qua descri-

ptione simul appareat, male procidentiae nomine venire descensum uteri naturalem, in gravidis, postremis gestationis mensibus, maxime ante partum, vel sub eodem, observabilem. Hic enim non procidentia, sed faltem levis uteri descensus est, qui post enixum sua sponte in plerisque cessat, quatenus fibræ uteri elasticæ, haec tenus à mole foetus & secundinarum plus solito expansæ, sese iterum contrahunt. Unde non sine ratione, procidentiam uteri in genere, situm ejusdem præternaturalem §. 1. in definitione appellavi, cum non omnis & aliqualis situs uteri mutatio deorsum facta, sicut jam innui, mox præternaturalis dicenda veniat. Tandem (3) inversio uteri juxta definitionem §. 1. traditam, eatenus faltem uteri procidentia nominari potest, quatenus uteri pars, nimirum fundus ejus, prævia inversione, per orificium ejus sufficienter dilatatum elabitur. Omnes proin in praxi obstetricali passim occurrentes casus ad unam vel alteram harum trium specierum referri sine difficultate poterunt, utpote quæ gradu inter se tantum differunt omnes: Sunt tamen excipiendi casus quidam, sed rarissime obvenientes, quos inter merito numerandi funesti illi decubitus uterorum ad inguina, unde more herniarum una cum inclusis embryonibus, ad horum perfectam maturitatem, & tempus partus cœfarei propenderunt: Quorum priorem, in *fæmina Nieffenni. Silesiaca an. 1531.* NIC. POLIUS & SAM. MEIGERIUS, alterum in *uxore victoris an. 1610.* Wittebergæ observatum, DAN. SENNERTUS in *Instit. Lib. II. p. 1. c. 9.* sub classe herniarum uterinarum descripsérunt. Præter quos, FRID. RUYSCHO excepto, nemo, quantum quidem scio, meminit veri lateralis prolapsus uterini. *Vid. Ej. Obs. Anat. Cbir. 24.*

Descriptas modo tres procidentiæ uteri species, in ratione æque ac experientia fundatas esse, mearum nunc partium erit, ut exactius demonstrem: Et in ratione quidem, quatenus partes, has procidentiæ species patientes, ita dispositæ sunt, ut facile eas incurrere possint: Primo texturam vaginalę membranoso rugosam ad procidentiam aptam describam necesse est, desuper notatus suspensionem uteri à ligamentis dependentem, quæ ligamenta, dum relaxantur & elongantur, procidentiæ uteri veræ occasionem præbent, tandem vero explicatus enormem illam, durante graviditate, contingentem uteri extensionem, qua sit, ut, dum fundus ejus, respectu habito ad orificium, maximopere extenditur, facile deorsum ruat, quando illuc trahitur. Antequam autem id expediam, L. B. benevole monitum volo, ne hic exactam, atque ex omni parte absolutam partium memoratarum descriptionem à me exspectet, dudum à tot celeberrimis Anatomicis multoties traditam, sed talem duntaxat, quæ tantum scopo meo conformis sit.

§. XVIII.

Vagina itaque uteri secundum celebriores Anatomicos, substantiam obtinet membranosa, spongiosa, non nihil fungosam, quo sufficienter dilatari in partu, liberumque infanti transitum concedere, postea vero contrahere rursus se se queat. Substantia hæc fibris multis secundum longitudinem excurrentibus est prædita, quibus, adjacentibus partibus agglutinatur. Componitur autem ex duabus membranis, quarum interna alba, nerva, papillaris, mollis atque multis rugis est instructa,

bovis

bovis palato non multum dissimilis, qua ratione dilata-
tur atque constringitur, & longior vel brevior, latior vel
angustior evadit in congressu, ubi vagina in omnibus
membro virili sese accommodat. Exterior membrana,
priorem circumdans, rubra, carnosa & musculosa est, quo
penem eo arctius complectatur. Rugæ, uti dictum est,
ab interna tunica sumentes originem, in virginibus, nec
non in mulieribus rariore Venere usis, vel nunquam in
partu versatis, multo crebriores sunt & densiores, quam
in iis, quæ saepius pepererunt, aut quæ diuturno mensis-
um, vel albo muliebri fluxu laborarunt, nec non in me-
retricibus, insatiabilem coitum affectantibus, in quibus
fere oblitterantur totæ, ita ut vaginæ facies lœvis prope-
modum evadat. Quando igitur quacunque de causa, vel
interna eaque lenta, ut statu corporis cacochemico, hinc
que jugi defluxu lenti humoris, vel fluore albo diutur-
no, fibræ, quibus mediantibus vagina cum partibus am-
bientibus cohæret, imo etiam, quæ ipsam vaginæ textu-
ram constituant, nimium laxantur atque elongantur,
tonumque suum & elaterem amittunt, tum vaginam
ejusque internam tunicam admodum rugosam pariter
inde relaxari, elongatam vero extra pudenda pro-
dire necesse est. Vel itidem ex causa violenta, ut
si à partu difficulti, aut nimis rudi tractatione obstet-
ricis extorsum protrudi contingat, foetusque per
angustiorem vaginam ægrius expulsus, vel obstetrix ex-
pulsionem hanc manu sua parum caute adjuvans, rugo-
sam tunicam, durius quam par est, premat, tonumque
fibrarum hoc pacto insigneriter labefactet. Ubi notan-
dum, quod, uti textura vaginæ valde dilatabilis, atque
mollities & lubricitas tunicæ interioris, gravidis tempo-
re par-

re partus magna adfert commoda, ita e contrario quoque occasionem det, accedentibus causis jam jam enarratis procidentia facillimam, vel vaginæ solius, vel ejusdem cum utero simul,

§. XIX.

Alterum quod spectat argumentum, sola nitens suspensione uteri à ligamentis suis, alligatur uterus parte sua anteriore, I quæ proprie collum seu cervix audit, inferius vaginae, anterius veficæ urinariæ, posterius intestino recto, cui toti incumbit, circumcirca fibris quibusdam alligatus partibus vicinis. Ipsius autem pars posterior, fundus appellata, libera prorsus est, nullibi superne annexa, pro liberiori hujus extenſione & contractione. Quo minus tamen in hanc vel illam ventris partem inclinet, neque sic motibus agitetur vagis, ad latera per ligamenta duo firmiter in utroque latere suspensus tenetur. Horum duo lata, alia rotunda vocantur, priora, figura sua alas vespertilionum referentia, substantiam obtinet membranaceam laxam & mollem, quo tempore gestationis, pro ratione uteri sese dilatantis, dilatari quoq; atque extendi, post partum vero una cum ipso contrahatur rursus queant, quorumque beneficio uterus, ex sententia quorundam alligatur lateribus ossis Illi, proprie autem sunt hæc aliud nihil, quam processus peritonaei, oriundi in regione lumborum, versus renes protensi, inserti partibus matricis lateralibus, & impedientes, quo minus in statu naturali fundus ejus procidat versus collum. Alterum par, seu ligamenta uteri rotunda è lateribus fundi uterini exorta, prope uterum nonnihil latiora sunt, quo vero magis recedunt, eo angustiora & teretia evadunt. Transeunt per annulos musculorum abdominis, & in pinguidine supra os pubis terminantur prope clitoridem.

C

Con-

Constant ex membrana duplice, firmiora sunt latis, ac uterum æqualiter tensum tenent, hincque pariter fabulosum uteri adscensum æque ac descensum impediunt. His quatuor igitur ligamentis quantumvis uterus firmiter retineatur in situ, nihilominus tamen gaudet libertate insigni extendendi se in statu graviditatis, quandoquidem hæc valde laxa & mollia, hincq; facile sint sequacia. Unde his ligamentis, in statu præternaturali, ob vim partus, externam violentiam, ut & statum corporis cacochymicum, vel immodice laxatis & elongatis, vel extremitate sua solutis, sublataq; simul connexione vaginæ, prolabitur uterus, idque vel magis vel minus, adeo ut interdum ad medium vaginalm, interdum ad vulvæ orificium, denique nonnunquam totus extra finum pudoris prolabatur.

§. XX.

Supereft post vaginalm & ligamenta uteri uterus ipse, ob enormem sub graviditate extensionem, ad prolapsum, concurrente in primis causa violenta, non minus pronus. Hic enim substantia sua carnosus nervosus atq; membranaceus, in virginibus mole exiguis, angustissima donatus cavitate, in gravidis stupendam plane in molem excrescit. Magnitudinem ejus pro mulieris ætate, libidinis stimulo, foetura, aut sterilitate &c. per pondus distinxit REGN. de GRAAF. Lib. de mul. organ. cap. 8. In recens natis, inquiens: uterus drachmam unam ad drachmam cum semissæ, in vetulis & virginibus jam pubescentibus, uplurimum ab uncia una ad sesquiunciam ponderat, in iis vero, que sapienterunt, aut frequentius veneri induserunt, major evadit, rarius tamen duas uncias excedit, in statu autem præternaturali uterum quadraginta libras ponderasse, idem observavit, reique histriam

riam ad calcem attexuit. Ordinaria uteri longitudo in foeminis bene formatiſ & non gravidis tres digitos circiter transversos adæquat, latitudo circa fundum duos cum di- midio, crassitieſ digitorum fere duorum habet dimenſio- nem. Uterus ergo ita conſtitutus, in foeminis ante impræ- gnationem non altius adſcendit, quam ad altitudinem os- ſis ſacri; in gravidis vero idem ſe extendit ſecundum o- mnem dimenſionem ſuam, præprimis verſus ſuperiora circa fundum, qui tum umbilicum ſupergreditur, & tam prodigioſam nanciſcit magnitudinem, ut ultimis gesta- tionis mensibus totam pelvim non modo adimpleat, ve- rum etiam intellina tenuia & reliqua viſcera ſurſum pre- mat. Etenim una cum foetu ejus domicilium increſcit, & quo grandior fit foetus, hoc major quoque & ſpongiosior indies fit uterus, ita ut circa partum pollicis, & ſaepē duo- rum circiter digitorum habeat crassitatem. Fit vero iſta uteri expaſio non tam ab ovuli intus turgescentis activi- tate, quam ob viſorū uterinorum, ab humorib⁹ largi- us eo confluentibus, repletionem. Hæc enim continuo, ſucceſſive tamen, cum utero ſimul dilatantur atque elon- gantur, id quod reptatus eorum ſerpentinus, anfractuoſus atque tortuoſus efficit. Diduētis jam à ſe invicem viſorū propaginiibus, ubi viſi ſubſtantia carnoſa intertextis, fibræ muſculares cum iſdem cohærentes ſenſim quoque diducuntur. Atque hæc ratio eſt, cur uteri crassitieſ cum enormi expaſione non inminuatur, ſed potius augeatur, ſubſtantia ſcilicet ejus in ſtatutri gravidaſionis ſolidiori den- fiori, mutata in magis fungoſam atque ſinuoſam. Hæc ta- men dilatatio non ubique æqualis, ſed quam maxime no- tabilis eſt in fundo uteri, hic enim non tantum crassior

atque carnosior substantia sua præ inferiore uteri parte seu collo, sed desuper totus liber ac nulli parti annexus, proin magis quoque expandi se patitur. Id quod nemo haetenus clarius vel solidius ostendit HENRICO à DEVENTER *in Arte obstetricandi cap. 9. p. 69. &c.* referente, uteri ligamenta superiora in mulieribus non gravidis, sub tubis Falloppianis fundo annexa sunt: Si jam uterus gravidus ab omni parte æqualem pateretur dilatationem, necessario sequi deberet, quod hæc ligamenta in eodem loco & situ persistant, ac fundo tam propinqua manent; ast vero ista in utero gravido summe expanso longissime ab hoc loco distant, & longe magis inferiori conspicuntur, ita ut, quo fundus uteri sursum magis extendatur atque ascendat, hoc longius ab illo distent ligamenta, locumque inferiorem obtineant. Hinc igitur & ex pluribus aliis argumentis cum adductis demum satis firmiter concludit, uterum gravidum in fundo multo magis extendi, quam in reliqua sui parte: imo ex proportione mutationis, quæ intercedit inter uterum gravidum & non gravidum, probabiliter conjicit, in priori fundum supra ligamenta extensione sua superare octies, vel plane duodecies expansionem uteri infra ligamenta siti. Quæ omnia clariora sunt ex figuris uterorum in alterutro statu constitutorum *locu cit. appositis.* Uteri fundus itaque ex causa supra dicta adeo extensus, tantum abest ut propterea extenuetur, ut potius crassitie augeatur. *Quod idem Doctiss. JOH. JAC. FRIED Practicus Argentoratensis Celeberrimus, qui inter alia, propter accuratam morborum multebrum & artis obstetricie notitiam, egregiam noninoris sui gloriam acquisivit, sub praxi obstetricali ita se expertum fuisse publice docuit; uterum scil. circa fundum & latera, durante gestationis tempore, sensim*

sensim sensimque crassiorem evadere, circa orificium autem hoc plus extenuari, quo proprius tempus partus accedat. Quando igitur obstetrix minus provida, vel funiculum umbilicale, vel immissa manu placentam adnatam, prætermissa, quæ extractionem antecedere debebat, separatione, nimis violenter trahit, aut ex imperitia ipsum arripit uterum; facile fundus maximopere expansus, crassus, humoribus turgidus, propter pondus suum deorsum ruit in orificium suminopere extenuatum, & per hoc aperatum usque in vel extra vaginam inversus excidit.

§. XXI.

Ast enim vero supervacaneum videtur plures rationes ad existentiam trium harum procidentiæ uteri specierum stabiendum producere, cum singulæ in praxi obstetricali tam sepe occurrant, ut , qui illas negat, hoc ipso comprobet, se nunquam obstetricali officio manum admovisse. Restat igitur demonstrandum, easdem species in experientia æque fundatas esse ac ratione: nullum enim efficacius speculationes in veritate facti non fundatas confutandi est remedium, quam experientia & oculata Practicorum fides. Quo autem omnia ordine expeditam, eandem methodum, quam hactenus fecutus sum, in observationibus, quas selectissimas, ex Authoribus Practicis & ut plurimum simul in arte obstetricia exercitatis depromptas adducturus sum, exacte quoque tenebo. primo nempe loco recensendo eas, quæ prolapsum vaginae continent, post, quæ procidentiam uteri veram exhibent, ultimo iis, quæ uteri ipsius inversionem fistunt, agmen claudendo.

C 3

§. XXII.

§. XXII.

Primæ speciei exemplum suppeditat LA MOTTE
in suis observat. obstetricatoriis Obs. 427. p. 657. Accersitus
 enim ad foemina maturam, vaginam uteri maxima ex
 parte extra pudenda transiisse, & in forma bursæ propen-
 dentem invenit, qua in locum naturalem mox redacta, so-
 la quiete ægra sanata fuit, ita ut postea nunquam amplius
 de hoc malo conquesta fuerit. Porro *ibid.* refert, se aliam
 foeminam, simili morbo laborantem jam per septimanas
 aliquot, eadem methodo curasse; in aliis autem reductio-
 nem impossibilem fuisse, dum pars elapsa ob temporis
 intervallum ita induruerit, ut omnia remedia ad eandem
 emolliendam incassum fuerint adhibita. Prolapsum to-
 talem vaginae inversæ cum descensu uteri, magnitudine
 caput infantile bis superantis, in partu difficulti observavit
 FRANC. MAURICEAU, qui foemina huic in partu ipse
 adstitit *Vid. Observat. suar. Obstetr. 6ta.* Sic & partum difficilem
 cum subsequente fluore albo, vaginae lapsum molestissi-
 mum cum descensu uteri fuisse secutum, legas apud JAC.
 BINNING: *Cent. 4. Obs. 38.* Quo pertinet *Histor. JOH. JAC.*
 WEPFERI *Ephem. Germ. D. 2. A. 5. Obs. 150.* recitata, ubi per
 fatis longum tempus continuo alternis vicibus mulier flu-
 ore albo & haemorrhagia uteri laborans, prolapsum va-
 ginæ, ex primo duriore partu contractum, indies am-
 pliorem contraxit. Præter hæc CHRSTOPH. V OEL-
 TER *in Schola Obstetr. p. 148.* statim post editum fo-
 etum à rudi vaginae tractatione massulas carneas intus col-
 lo appensa vidit, easque initia procidentiarum fieri po-
 tuisse recte concludit. Sicuti *ib. p. 280.* ex partu difficulti
 prolapsam vaginae portionem ligatura feliciter ablamat
 fuisse à se refert, ita ut foemina postea plures adhuc pe-
 pererit

pererit infantes. Imo p. 287. vaginam capitum infantilis magnitudine extra corpus propendentem cum parte intestinali inclusa vidisse se narrat. Cui similem fere adfert calum GUIL. FABR. HILDANUS *Cent. 3. Obs. Chir.* 56. de puella, cui collum uteri una cum collo vesicæ confusè propendebat. Vaginæ uteri extensionem in tumorem magnum, extra corpus prodeuntem ovo struthiocamelii similem videoas apud STALPART. VAN DER WIEL *Obs. Rar. 68. Cent. 1.* qui tumor, gangrænofus factus, incisus & separatus fuit, foemina intra mensis spatium convalescente, pluresque dein liberos pariente.

§. XXIII.

Post vaginæ casus neque desunt exempla, procidentiam uteri veram abunde confirmantia, quorum certe numerus haud exiguis extat. Sic foemina quinque menses gravidam hoc malo laborantem vidit FRANC. MAURICEAU, quam quiete sola & pessario percuravit adeo, ut debito tempore feliciter pepererit *Vid. Obs. Obstetr. 67.* Sic descensum uteri, quem foemina jam decem annorum spatio ferebat, in denuo grida, quarto gestationis mense in procidentiam perfectam mutatum, ita ut orificium uteri internum oculis exterius appareret, cum portione vesicæ urinariæ simul prolapsæ, notavit *Idem Obs. 95.* Et CHRISTOPH. VOELTER in *schola obstetric.* p. 288. meminit prolapsus uteri veri, extra corpus propendentis, scirrhosi & insensibilis, quem foemina ante viginti annos contraxerat, dum repente magnam graminis molem elevaret, sequenti p. 290. admodum memorabile exemplum recensens, nimis rara, dum cadaver mulieris, hunc affectum quadraginta ab annis passæ, secesset, uterum inter coxas pendentem liga-

ligamentis suis plane solutum invenisse, ut, nisi vagina ipsum quodammodo firmasset, necessario totus quantus foras procidisset. Uterum ad ovi anserini magnitudinem propendentem in foemina, quæ nunquam utero gestaverat, nulla sensibili causa præfente, vidit & pessario curavit GUIL. FABR. HILDANUS *Cent. 4. Obs. 61.* memorans *Obs. 62.* prolapsum uteri scabiem & partum difficilem consecutum fuisse. Et PETR. de MARCHETTIS *Anat. cap. 7. p. 47.* testatur, se uterum, in vaginam extra pudenda prolapsum in Xenodochio Patavino reposuisse. Porro à partu laborioso procidentiam uteri cum urinæ incontinentia observatam tradit THOM. BARTHOLINUS *Hist. Anat. 2. Cent. 4.* Quale notabile procidentiæ uteri quoque veræ exemplum ex observatione JOH. CONR. PEYERI recensent *Ephem. N. C. D. 2. A. 1. Obs. 84.*, ubi ne quis putet, fuisse vaginae tantum relaxationem, additur, uterum sursum compulsum nonnumquam cum saltu pristinas suas sedes repetuisse, quum interea vagina restitutionem in suam sedem non admittaret, id quod postea etiam dissecatio cadaveris confirmavit, ubi oculis patuit, uterum reapse prolapsum, neque tamen propterea vincula ipsius penitus rupta, sed laxata tantum fuisse. Mulieri Bononiensi, quum mola trusatili hordeum degluberet, matricem elapsam, & cucurbitæ instar inflatam fuisse refert JOH. LANGIUS in *Epist. Medic. 39. p. 741.*, eamque CARPUM Chirurgum, se cooperante, novacula abscidisse sine vitæ dispendio adjicit. An vero uterus revera, vel tantum portio tunice rugosæ vaginae ablata fuerit, jam non disputo, experientiæ Practicorum cordatorum atque Chirurgorum controversiam, an uterus sine periculo mortis extirpari possit, merito

merito relinquens. Ad hæc tussim atque obſtructionem
alvi ejusque difficilem dejectionem, occasionem sub-
inde præbere prolapsu uteri, antea laudatus FRANC.
MAURICEAU *Obſ. 303.* aſſerit. Imo & saltum præcipi-
tem uterum extra corpus protrufiſſe, probare licet exem-
plo D. EGD. EUTH. *Saxonie Ducis Archiatri* communi-
cato CORN. STALPART. VAN DER WIEL. *Cent. 1.*
Obſ. 69. p. 301. Virgines & non maritatas, rarissime licet pa-
tiantur prolapsum, ab hoc tamen non plane immunes
eſſe, teſtatur FRANC. MAURICEAU hinc inde *in ſuis*
Obſerv. Inprimis bina exempla admodum notabilia de
ancillis adſert *Obſ. 69.*, quæ lavando hypocauſta ex in-
genti labore in prolapsu uteri totales cum inverſa va-
gina ſummopere elongata inciderant, illosque ſeptem
jam annos ſuſtinuerant, monstroſo tumore in me-
dio coxarum pendente, magnitudine capitis infantilis,
in cuius extremitate orificium internum ſe conficien-
dum præbebat. Ab hiſ nec aliena ſunt, quæ ſuggerit CHRI-
STOPH. VOELTER *in ſchola obſetr. p. 205.* de virgine
viginti annos nata, quæ ex iectu ventris fortiori prolapsum
uteri paſſa eſt, qui tamen propter anguitiam rimæ feu
pudendi foras prodire non poterat. Nec silentio hic
prætereundum, quod REGN. de GRAAF. *Lib. de Mut.*
Organ. cap. 10. p. 206. meminit, nempe ſe uno tempore ad
quatuor diuersas filias intemerata virginitatis vocatum
fuiffe, uteri prolapsu laborantes, quibus immiſſione pes-
ſarii auxilium tulit. Verum omnibus aliis palmam præ-
ripiunt, ac clarissime procidentiam uteri veram evincunt
Observationes Celeb. FRID. RUY SCHII, figuræ uterorum
æri nitidiffime incifas ſimul exhibentes. Ex mirabili illa
& fortassis nunquam viſa, quæ prima eſt ſuarum, *Obſer-*
D *vatione*

vatione Anatom. Chirurgica patet, calculos vesicæ urinariæ inclusos, gravitate & pressura sua uterum ad prolapsum sollicitare. Præ ceteris autem omnem de procidentia uteri litem decidisse videtur modo laudatus FR. RUY-SCHIUS *Obs. 7.* inquiens. *Uterus totus quantus & non inversus propendebat, in cuius extima partis centro osculum conspiciebam, è quo levi opera guttulas aliquot sanguinis exprimebam* conf. *Fig. 8.* Uterus hic ligatura, ait infasto cum successu, extirpatus fuit, apertoque cadavere foeminæ hujus miserandæ, in pelvi nihil apparuit præter unum ex ovarii cum annexa tuba & ligamento lato. *Obs. 9.* si milem prorsus adserit casum, foeminam scil. incidentem per fossam in uteri totius prolapsum incidisse narrans, cuius magnitudinem & figuram apponi curavit, quemque, obstetricie repositionem incassum tentante, in situm naturalem reduxit. Prolapsum denique lateralis portionis uteri. *Obs. 24.*, & os uteri in partu deorsum aliquoties de lapsum à se observatum notat *Obs. 25.* Quibuscum conferantur *Observationes* §. 13. supra memoratae. His tandem addere par erit proprium testimonium, quum enim Argentorati opemferrem parturientibus, rem curante saepius laudato JOH. JAC. FRIED., repetita vice in juniori & vetula prolapsum uteri verum oculis lustrare manibusque palpare contigit, inque binis uterus in finum usque pudoris propendens, osculo suo oculis manifeste sistebaratur.

§. XXIV.

Quibus modo allegatis necesse est ultimo loco accedant observationes à probatissimis rerum Medicarum scrutatoribus studiose super tertia procidentia specie nempe inversione uteri factæ. Talem primam imperfectionem

Etiam à partu ex difficultiori placenta separatione ortam, sensim & successiye in perfectam mutatam, ita ut pugni magnitudine inter coxas propenderet, postea plus quam triginta annos, visam testatus est LA MOTTE *Obs. obſetr. cap. 10. Obs. 425.* seque uterum inversum ab obſetrice simul cum placenta protractum extra vaginam offendisse, atque extemplo felici cum ſuccesu in ſitum reduxiſſe *Obs. 426.* Porro ISBR. DE DIEMER-BRÖECK *Anat. Lib. I. cap. 25. p. 138.* ſcribit, ſe in *concupina Satrapa Leerdamensis* uterum invertedum ad duorum ditorum transversorum latitudinem ē ſinu propendente conflexiſſe, manibus propriis tractaffe, & convenienti instrumento verſus interiora in ſuum locum retruſiſſe ita, ut nunquam amplius prociderit. Sic & FRANC. MAURICEAU in *Obs. obſetr. Obs. 355.* uteri inversionem totalem ab imperita obſetrice, dum ſecundinas extraheret, illatam fuisse refert, & uteri fundum, quum obſetrice rei ignara reductionem ejus momentaneam intermisserit, adeo intumefactum fuisse, ut repositio authori impossibilis fuerit, puerpera vero infelix ob hæmorrhagiam continuam mox diem obierit supremum. Cui ſimilis plane & æque notabilis eſt ejusdem *Obs. 685.* His omnibus adſtipulatur THOM. BARTHOLINUS *Histor. Anat. Cent. 2. Obs. 91.* ex literis PAUL. MOTHII adducens, obſetrice ſecundinas adnatas ſolvere conantem, una cum his uterum validiore manu, molam eſſe credentem, extraxiſſe, D. MOTHIUM advocateum, uterum ipsum integrum marsupii instar invertedum, foras propendente, ab utroque latere digito obſetricis perforatum deprehendiſſe, adſtantibusque montrasse. Quibus præterea in hoc argumento conſentanea ſunt bina illa ſatis egregia

exempla à GERH. BLASIO in *Miscell. Anat.* p. 302. & 303.
 allata, ipsoque sectionibus cadaverum adstante, in quo-
 rum primo, ex secundinis nimis arête cum membrana u-
 teri interna cohærentibus ex opinione ejus orto, fundus
 uteri ab obstetricie extra pudenda protractus erat, putan-
 te alterum se extrahere fœtum. In altero ex præcedenti par-
 tu laborioso profecto secundum rumorem sparsum uterus
 in ventre defunctæ plane deerat quandoquidem totus
 quantus inversus extra corpus dependens, infra sui ca-
 vum testiculos uterique ligamenta continens, vaginam si-
 mul extensam mireque incrassatam in tumorem mon-
 strosum, mulieri, quoties incederet, ad genua usque
 delapsum, depressoerat. In cuius rei pleniorē confirmationē
 desuper adducit exemplum puerperæ, quæ, vio-
 lentiori ex partu moriens, uterum maxima sui parte in-
 versum, adeoque non parum extra corpus prolapsum,
 sibi conspiciendum præbuit *Vid. Ejusd. Observ. Anat. Practic.*
p. 128. Quale non minus memoratu dignum inversio-
 nis uteri exemplum extat apud CORN. STALPART.
VAN DER WIEL Obs. Rar. Cent. I. Obs. 67. p. 293. ubi ute-
 rum ignorantia obstetricis secundinarum loco eductum,
 & instar inversæ manicæ, interioribus partibus redditis
 exterioribus, inter scemora propendente vidit *Autor*,
 secundis ab inverso utero, cui etiamnum affigebantur, à
 paulo post accedente altera obstetricie demum separatis.
 Præ ceteris omnibus inversionem uteri testimonio suo
 recentius comprobat *Celeb. FRID. RUYSCHIUS Obs.*
Anat. Chir. Obs. 10. scribens: se uteri inversionem totalem
 bis in una septimana vidisse, imo sibi ipsi contigisse nar-
 rans, se, dum fœtum mortuum placentamque extra-
 heret, uterum mox subsequentem conflexisse atque illi-
 co re-

co restituisse, quem eleganter depictum simul exhibet.
 Uteri à partu inversionem lassione cultelli ab imperito
 medicastro facta lethalem descriptam videas apud e-
 undem Obs. 26. Quo spectant etiam in *Advers. Anat. Dec.*
 2. p. 37. relata, scil. se una die vocatum fuisse ad duas mu-
 lieres, quibus uterus, ab obstetricibus imprudentibus pro-
 monstro habitus, post partum per vaginam eductus, fo-
 ras pendebat inversus; quarum una, reducto illico ute-
 ro, sanata fuit feliciter, altera vero turpi hujus erroris
 culpa periit. Quibus p. 38. subjungit, dum parturientem
 ab infante ipse liberaret, secutam sine ulla omnino adhibita
 vi placentam cum membranis quam facillime, & mo-
 mento citius uno impetu hanc sua sponte subsecutum
 fuisse uterum inversum, quem statim, sentiens quid rei
 esset, retinuit. Exemplum tandem violentæ extractionis
 placentæ uterinæ cum inverso utero ex *Actis Facultat. Med.*
Lips. de juvencula Zittaviensi primipara allegat JOH.
 BOHNIUS de *Renunc. vulner. letal.* p. 396. Quibuscum
 tandem jungenda veniunt alia ex HENR. à DEVEN-
 TER & JOH. van HOORN inferius §. 29. allegata.

§. XXV.

Ex tot ergo hactenus allegatis observationibus satis
 constabit, tres distinctas procidentiæ species proprie tales
 re ipsa dari, & contradictentium rationes contra Autopsi-
 am nihil quicquam valere, hæc fidem adstruit assertionibus
 omnibus, hæc eandem male assertis derogat, ab hac omnis
 sententiarum certitudo & evidentia proficiscitur, quod
 ipsum quanto est verius, tanto ægrius ferenda eorum te-
 meritas, qui, praxi obstetricali inconsulta, quicquid etiam
 in lucem proferant, eo nihil faciunt aliud, quam ut pluri-

mos in errorem inducant. Quibus hæc non sufficiunt, adeant GERH. BLASIUM, qui *in Commentar.* suo ad JOH. VESLINGIUM integrum catalogum contexuit illorum, qui observationes de procidentia uteri scripsero; legant *Obser.* WEDELIANAS & HARVÆANAS *Ephem. Germ.* Dec. 2. An. 6. *Obf.* 91. VOLCAMERIANAS *Dec. 1. An. 9.* § 10. *Obf.* 336. SCHELHAMMERIANAS *Dec. 2. An. 9.* *Obf.* 149. & WOLFIANAS *Dec. 2. An. 9.* *Obf.* 34. Videant denique plura exempla in CHRISTOPH. VOELTERI *Schola Obstetr.* & FRANC. MAURICEAU *Obser.* *gravidarum obstetricatorii.* His si ex antiquitate testimonia adjunixeris, testificiora fiunt hactenus allata per doctrinam Magni HIPPOCRATIS, qui *Lib. de Nat. Mulier.* *Seçt.* 5. p. 564. it. 582., *Lib. de Locis in homine* *Seçt.* 4. p. 423., *Lib. de Superficieat.* *Seçt.* 3. p. 266. & 267. aliisque in locis apertissime docet uterum prolabi, simulque hujus prolapsus causas & curationem adjungit, cuius opinioni etiam CLAUD. GALLENUS assurgit.

§. XXVI.

Ostendi hactenus præter intentionem fusius veritatem trium harum procidentiae specierum: præmissis itaque his, superest, ut paulo specialius in disquisitionem veniat inversio uteri, utpote quæ proprie cardo & scopus totius dissertationis est. Hæc vero nunquam nisi in ipso, aut mox post partum contingere asoleret: Nimirum, dum, fundo uteri partus tempore admodum expanso, placentam naturaliter adhaerentem obstetrix, infante jam in lucem edito, per attractionem & agitationem funiculi umbilicalis, veterum more educere conatur, placenta ductum hunc quidem sequitur, sed quando hæc justo firmiores radices in fundo uteri egit, per attractionem radices ejus

non

2011

non evelluntur, sed potius uteri fundus adhærens sequitur, & quidem per orificium uteri, ob partum vix prægressum, satis apertum, eo usque, quo obstetrix per funiculum umbilicalem, placentam seu ad exitum vaginalē tantum, seu extra ipsum corpus muliebre educit. Nihilominus uteri inversi prolapsum, nec in partu, nec brevi post eundem, ab excrescentia carneo fungosa, in fundo uteri interno ex potu infusi crepitus lupi enata, observatum ab HENRIC. von SANDEN *in Schediasmate peculiari docte conscripto legat* B. L. Aliquando quoque uterus sponte sua post editum fœtum inversus prolabitur, quale quid observavit FRID. RUY SCHIUS *obj.*
 26. citata §. 23. Ast sunt hi casus oppido rari, nullam proinde constituentes regulam. Ut plurimum autem & ordinarie à vehementi secundinæ extractione uterum inverti & extrahiri ab obstetricibus imperitis, funiculum umbilicalem plus quam par est attrahentibus, *in Advers. Anat.*
Dec. 2. p. 37. testatur FR. RUY SCHIUS.

§. XXVII.

Modis proin variis, quibus affectus noster sæpius contingit, supra descriptis, ejusdem causas rimari nunc fas est. Sunt hæ vel proxima vel remota: hæc est nimis firma, hinc præternaturalis placenta cum fundo uteri cohaesio, qua mediante partes hæ in statu naturali contiguae, nunc quasi continuae sunt. In partu quippe felici seu naturali, placenta atque tunicae cum vasis umbilicalibus unice conservationi embryonis destinatae, fœtus exclusionem statim sequuntur. Contingit tamen subinde, ut hæ, propter nimis firmam placenta cum interno uteri pariente cohaesionem, à vitiosa conformatione & robore fibra-

rum,

rum, vasorum atque papillarum, utramque partem connectentium, dependentem, vel propter intempestivam osculi uteri interni constrictiōnem, pertinaciter hæreant ac retineantur. Quale quid accedit etiam, si ob diuturnum partus laborem intumuerint, aut si aér frigidus in cavitatem uteri admissus, vel puerpera terrore & timore percussa fuerit, vel laborum impatiens non in eo situ permanerit, eosque conatus non præstiterit, qui ad secundinarum expulsiōnem sunt necessarii. Causæ firmioris placentæ cum utero cohæsionis non raro quoque sunt, elevatio ponderis gravioris, lapsus, duriorque ventris contusio, à quibus interna viscera & uterus inprimis plurimum patiuntur, quippe à pressione abdominis placentā uno in latere ab utero abrupta, post per cicatricem coalita, firmius ibi cum eodem, ac pridem, concrevit, id quod omnibus cicatricibus solenne est. Notatu vero dignum est, in nonnullis mulieribus secundinas fere semper adeo tenaciter utero adhærere, ut non nisi per frusta separari & extrahi queant, in aliis econtrario plane solutas reperiri, ut sponte sua sine ulla fere trahitione excidant. Priorem statum NIC. TULPIUS *Obs. cap. 42.* observavit in uxore *Job. Lobnii*, quæ, quantumvis partum feliciter ederet, plurimum tamen molestiarum semper perpessa est à secundis retentis, adeo pertinaciter adhaerentibus, ut, sat valide à tribus obstetricibus licet tracte, tamen non sequerentur. Singularem arctæ hujus cohæsionis causam, sèpissime in centrali funiculi umbilicalis in placentam infertione sitam esse observavit FRID. RUY SCHIUS *Obs. 97. it. Advers. Anat. Dec. 2. p. 35*, quoniam tunc directio tracti funiculi æquabiliter trahit totum corpus placentæ, ideoque augmento conta-

concretarum superficierum non dimittitur placenta: si autem funis in hoc vel illud latus vergat, faciliter negotio & sua sponte placentam separari ab uteri fundo, & fœtum prægressum sequi existimat. Interea paulopost, id licet rarius acciderit, libere constitetur, funem satis propinque lateri alterutri insertum se invenisse, & nihilo minus immobiliter matrici placentam adhaesisse. Verum enimvero omnes licet enarratas aliasque ab authoribus in medium allatas causas id incommodi secum tulisse non penitus negaverim, quæ tamen arcta hujus placentæ cum utero cohaesionis causa sit, quum nullam ceu indubiam autopsia haec tenus probaverit, ulteriori physico anatomicorum disquisitioni hanc merito relinquo.

§. XXVIII.

Proxima inversionis uteri causa est communis ille sed perversus obstetricum placentam extrahendi modus per attractionem funiculi umbilicalis solam factus, quem uti inter recentiores chirurgos artem obstetriciam exercentes multi, in primis FRANC. MAURICEAU, secuti sunt, ita sequenti encheiresi peragitur: nimis rum obstetrix vel chirurgus arreptum funiculum umbilicalem duobus simistræ manus digitis circumponit, altera vero manu eundem superius prope pudendum apprehendendo, & una cum priori tam diu ad se trahendo, donec secundinæ sequantur. Ast adminiculo hoc diligenter expenso, unicuique constabit facile, multis & perplurimis id patere periculis. (1.) enim infante præmature nato, vel etiam debitum maturitatis tempus attingente, sed jam per aliquot tempus mortuo, funiculus plerumque in his casibus pertenuis ac rarus, facillime tractione utcunque levi

E

& mol-

& molli abrumpitur, unde postea extraētio secundinæ fit difficilior. (2) hac methodō, placenta inprimis, si tenaciter adhæreat utero, & simul ab ultimis partus doloribus ejusdem fundus fortiter introrsum & versus inferiora pressus fuerit, inversio uteri facile induci potest. Uterum enim in partu aut mox post eundem consideranti, maxime laxus ille appetet, tum quoad corpus, tum quoad orificium suum, quatenus fibræ ipsius tempore gestationis à mole fœtus & secundinarum valde distenduntur. Quod si igitur uterus, antequam fibræ se post partum sufficenter contraxerint, & quasi in semet ipsas rursus abierint, vim patitur a tractione paulo rudiori funiculi, tum facile accidit, ut caufis ante adductis simul concurrentibus, fundus laxus invertatur, & per orificium uterinum non minus laxum & hians transeat. (3) alio forte adhuc in utero existente fœtu, tractione funiculi, hujus placenta (sæpius mediante membrana cum placenta primi infantis cohærens) una cum placenta prioris infantis extrahitur, unde circulationem sanguinis in ipso fisti, mortemque sequi necesse est. (4) Placenta ex parte soluta, hæc tantum sequitur tractionem, remanente parte adnata, unde, nisi inflammatio vel hæmorrhagia, vel ad minimum maxima tornina post partum sequuntur. (5) & ultimo, placenta quidem satis soluta, aſt funiculo debito majori atque crassiori existente, & ore uteri statim à partu sese fortiter contrahente, consequenter placente tractæ nec cedente, nec se aperiente, ſed resistente, facili negotio uterus una cum placenta ante vaginam protrahitur, i. e. fit procidentia uteri vera. Enumeratis autem defectibus, quibus hæc methodus obnoxia est, meliorem ut nunc subministrem, incumbere mihi videtur. Commendant talem HENR. à DE-

HENR. à DE VENTER & JOH. van HORNE pas-
 sim in scriptis suis, plurimique recentiorum chirurgo-
 rum, præfertim parisiens, artem obstetriciam dexterri-
 me exercentes, qui experientia edocti rem suam ita pera-
 gunt: capiunt citra ullam tractionem, simulac infans
 est in lucem editus, una manu funiculum umbilicalem,
 alteram manum secundum ductum funiculi blande im-
 mittunt in apertum tunc temporis & satis patentem ute-
 rum, tum placentam jam liberam prehendunt hoc modo,
 ut quatuor digitos adigant inter partem antea adhærentem
 & uterum ipsum, pollice firmiter apposito centro, ubi fu-
 niculus ingreditur placentam, quo facto funiculum ma-
 nu, qua ipsum extra corpus puerperæ retinent, trahunt,
 simul altera manu placentam comprimentes versus infe-
 riora, eamque tali modo totam educunt. Atque hoc pa-
 cto mala ita, quæ modum vulgarem sèpe fæpius con-
 comitantur, non tantum scite præcavent, sed & eo ipso
 certiores simul fiunt, utrum placenta adhata sit nec ne?
 ubi, si prius obtineat, minori tum difficultate poterit se-
 parari, quam post temporis spatium, ibi orificium internum
 jam quodammodo constrictum fuerit, & uterus ipse sese
 circum circa placentam contraxerit. Deniq; ipse FRANC.
 MAURICEAU cum suis asseclis post placentæ extra-
 ctionem, immissionem manus in matricem necessariam
 judicant, ad eximendum si quid restitet sanguinis coagu-
 lati vel placentæ, & quo certiores fiant obstetrices vel
 chirurgi, an quicquam superstis, vel plane fœtus, vel peregrin-
 um quoddam corpus, vel mola. Quodsi igitur hanc
 manus introductionem post partum necessariam semper
 & securam judicent adversari? longe consultius erit hoc
 agere simul cum extractione placentæ, & quidem fine

mora, antequam ostium uteri contrahatur, putrefcantque secundinæ, expeditum quippe negotium est, paucorum minutorum spatio absolvendum, nec uteri os fœtui exenti sufficiens tum intranti manui obstericis impedimento erit. Minime tamen id intendo, ut, si placenta tam fortiter adnata sit, ut molliter se separari plane non finat, rudiore avulsione illud negotium peragatur, unde inflammatio vel hæmorrhagia uteri lethalis sequatur necesse est: sed ex duobus malis minus eligendum, & totum opus naturæ committendum esse cum FRID. RUY SCHIO plenisime consentio.

§. XXIX.

Præter indicatas hujus mali causas *Celeb.* FRID. RUY SCHIUS *Tract. de musculo in fundo uteri observato p. 18.* statuit, inversionem uteri subinde pro causa agnoscerre nimios parturientis conatus in expellendo puerperii sanguine. Verba ejus hæc sunt: *mali hujus indeles nonnumquam soli validissimo conatui parturientis in expellendo puerperii sanguine natales suos debet, licet nulla attractione funiculum agitaverimus.* Et in *Advers. Anat. Dec. 2. p. 38.* de utero inverso sponte sua sine vi ulla adhibita placentam sequente loquens, ait: *principia autem hujus mali causa haret in validissimis conatibus, à parturiente addibitis ad exonerandum uterum post partum.* Ubi subit mirari, *Virum Doctris. & Rerum Medicarum Scrutatorem solertissimum* in opinionem plane rei naturæ contrariam abiisse. Quare non possum, quin contra afferam. illum committere hic fallaciam causæ, non causæ ut causæ, quoniam, partu edito, & uterus & orificium in semet sece contrahunt, qui modus contrahendi plane contrarius illi est, qui tempore dolorum ad partum contingit, hic enim fundus uteri versus orificium suum

suum dicitur, quo contenta inibi expelli possint. Quan-
do ergo FRID. RUYSCHIUS inversionem uteri decur-
rente puerperio demum obortam se observasse scribit,
saltem inversionem uteri imperfectam, & statim post par-
tum enatam, in inversionem uteri perfectam mutatam no-
tavit; interdum enim in partu inversio imperfecta pro-
ducitur, ubi fundus uteri ex parte orificium internum
quidem transit, sed statim ibi in vagina subsistit, ubi in-
terdum accedit, ut hæc non ante, quam in perfectam
tractu temporis abierit, observetur. Fermo igitur stat
talo assertum nostrum, inversionem uteri nunquam nisi
in aut mox post partum, quum scil. orificium internum
adhuc valde hiat, contingere posse, quod *Celeb.* FRID.
RUYSCHIUS quoque in *Obs. Anat. chir. ioma* ipse agno-
vit.

§. XXX.

Quo autem felicius ad reliqua progredi, & inversio-
nis uteri signa, symptomata, prognosin & curam accu-
ratius exponere queam, differentiæ ejusdem hoc loco
præmittendæ sunt. In duas vero species distinguitur com-
mode: alia nimirum est imperfecta, alia perfecta: im-
perfecta est, quando fundus uteri attractus orificium qui-
dem uteri transit, sed in vagina subsistit, hincque ta-
ctus ope saltem cognoscitur. Perfecta vero est, ubi fundus
uteri & orificium hujus & vaginam pertransit, ac extra cor-
pus muliebre & tactui & visui sese sistit. Prioris speciei
exemplum notavit HENR. à DEVENTER *in Arte Ob-
stetric. cap. 28. p. 226*, ubi obstetrix incauta, more vul-
gari, per attractionem funiculi solam, secundinas e-
ducere conans, simul uteri fundum aliquousque pro-
traxerat, quem advocatus in tempore tactu mox cogno-
vit.

vit author inversum in orificio scil. adhuc consistere, licet obstetrix ex ignorantia pro capite alterius infantis eundem venditasset adstantibus; interea puerpera dolores tam immanes patiebatur, ut in periculo mortis verari videretur, post tempestivam autem fundi restitutionem, doloribus paulo post cessantibus, feliciter servata est. Unde adjicit author, non habent quod metuant, qui statim à partu manum utero immittunt pro educendis secundinis. Posteriorem speciem illustrat exemplum à JOH, van HORNE in *Arte Obstetr. Obs. 4. p. 176.* subministratum: ubi obstetrix, postquam cum placenta simul uteri fundum extra pudenda protrahens, ita ut capit is infantilis magnitudine propenderet, insciā quid rei esset, authorem advo- cavit, qui post cognitionem mali id obstetrici explicuit, ac quomodo uterus inversus manuali operatione reponen- dus sit, monstravit, id quod, dum invercio adhuc recens, & uterus nondum intumefactus esset, ex voto etiam suc- cessit. Hujus observationis occasione Author scite admo- net LECTOREM, ut discat exinde, quid metuendum sit à placentæ extractione per funiculum umbilicalem facta, hincque suasor est omnibus, multiplici sua praxi obste- tricali edocitus, ut manum mox post partum intromit- tant in uterum, sicque placentam caute educant; sive sit soluta nec ne. Plura exempla B. L. jam notata inveniet in §. 23., observations pro veritate inversionis uteri militan- tes plures continente.

§. XXXI.

Inversionis modo, causis & differentia hactenus rite expositis, ad diagnosis ut me convertam, ordo hucusque à me observatus exigit. Signa diagnostica obstetrix, ta-ctus atque visus tradunt: obstetrix quidem, referens; cum placen-

placenta à se extracta, una adnatum quoddam corpus carnosum, magnitudine & figura capitinis infantilis, vel ad exitum vaginae tantum, vel extra corpus muliebre prodidisse, quod nec ultro educi, nec intus se repelliri permittat, permultumque sanguinis fundat, puerperam vero ipsam graviores quam in partu ipso, & quidem præcipue in regione lumbari pati dolores. At quum obstetrices ut plurimum corpus istud exacte indicare, ac quid propriè sit definire nequeant, sepe medico ex harum relatione insufficienti morbi diagnosis vix patescit; quare, nisi obstetrics diagnosis Medicis rite describere valeant, hi ipsi, quod prolapsum est, visu & tactu explorare, puerperæ vero, intempestivo pudore deposito, explorationi huic se minus subtrahere debent. Hinc tactu, & quidem in inversione uteri imperfecta, in subsidium vocato, reperiatur vagina tota quanta corpore quoddam spongioso carnoso, quodammodo inæquali seu rugoso, duro, hinc digitis renitente, adimpta, quod versus exteriora rotundo planum, versus superiora vero, ubi ab orificio uterino constringitur, acuminatum est, sicque figuram pyriformem effingit. In perfecta vero uteri inversione visus non tantum eadem, quæ tactus exploravit, observat, sed & corpus hoc extra sinum pudoris propendens, instar curbitæ rotundum, saccum cruentum repræsentans, sine orificio conspicuum oculis sese subjicit, sanguinem seu serum quoddam cruentum, è vasis & poris substantiæ uterinæ plus solito tunc hiantibus, fundens.

§. XXXII.

Quare, quotquot arte obstetricia parturientibus operem ferunt, serio monendi sunt, ut diagnosis affectus magna

magna cum circumspectione instituant, ne uterus vere inversum pro extensione faltem interioris tunicae rugosæ vaginæ habeant, hincq; forte si repelliri nequeat, summo vitæ periculo refescent. neque minus pro tumore habeant, quem magis magisque ad se trahendo malum gravius reddant, aut perscrutandi causa, qualis sit tumor, eundem male afficiant, vel plane vulnerent; quale quid amstelædam fecit medicaster, matricem uxoris lanionis cuiusdam prolapsam & inversam non credens, levi cultelli cuspidis lassione hæmorrhagiam excitans lethalem, adeo ut paucis horis elapsis foemina diem suum obierit supremum, teste FRID. RUY SCHIO *Obs. 26.* Denique cavendum, ne uterus inversus ac prolapsus pro mola vel partu fœtus monstroso habeatur, id quod interdum factum est ab obstetricibus & chirurgis imperitis, prouti *sepius laudatus* FRID. RUY SCHIUS *Obs. 10.* narrat, aliquoties se vocabulum fuisse ab obstetricibus plane attonitis, conspectu scil. ejusmodi tumorum partui succedentium, afferentibus, molam magnam utero firmiter adhaerentem se visurum, aliis, partum fœtus monstroso proditurum esse. Quin obstetrices non tantum, sed & chirurgos imo & Medicos hoc in casu esse hallucinatos, *ibid.* ingenue fatetur.

§. XXXIII.

Prognosin perraro faustam, sed valde periculosam, imo teste FRID. RUY SCHIO *Obs. 10.* plerumque lethalem formare licet ob symptomata hunc affectum ut plurimum concomitantia gravissima. (1.) Ob uterus in maximo statu præternaturali constitutum, utpote qui non tantum, sicut in omni alia procidentia fieri conseruit, in præternaturalem seu situs altioris in procliviorem muta-

mutatur, sed status naturalis penitus invertitur, partibus uteri interioribus redditis exterioribus, qui status hoc periculosior est, quo tunica uteri interior, ob texturam suam papillarem nervosam, sensibilior est, hincque faciliter laceratur præ exteriore, crassiore, longe validiori & à peritonæo oriunda,

XXXIV.

(2.) Affectus non raro mortem subitam puerperæ post se trahit ob immodicam hæmorrhagiam cum larga enim sanguinis profusione immane quantum vires dejiciuntur, natura debilitatur, ita ut corporis constitutio organica in integritate sua persistere diu nequeat, sed brevi destruatur; id quod in primis timendum, si vel convulsio vel animi deliquium accedant; omne namque animi deliquium & convulsio per se mala sunt, maxime in hoc affectu, ubi instantem mortem plerumque minantur. Quo referas licet ex FRID. RUY-SCHII Obs. 6. supra allegata, hæmorrhagiam à leviori uteri inversi vulnusculo cuspide cultellifacto, illatam, pauloq; post lipothyriis subsequentibus mortem puerperæ inferentem. Qualem hæmorrhagiam lethalem itidem observavit GERH. BLASIUS Miscell. Anat. p. 302. referens: Se in propendente inverso utero vasa omnia omni prorsus sanguine destituta invenisse, sanguinis defectum ex immoderato fluxu ob violentam secundinæ separationem coortum, mortis subitanæ causam fuisse judicans. Quodsi autem contingat puerperam morte subitanea non perire, nihilominus ab omni periculo nondum immunis est: Utero enim sine mora non reposito, hæmorrhagia hac non cessat, unde tractu temporis mortem effugere nequit puerpera. In cuius rei fidem legi meretur FRANC. MAURICEAU Obs. 355. Ubi obstetrix uterum inversum à semet ipsa protractum, ex ignorantia simpliciter tantum retrahit in vaginam, fundo in statum & situm naturalem rite non redacto; Unde puerpera ex hæmorrhagia continua octo menses durante tandem mortem obiit, quoniam fundus ex forti constrictione orificii suitam extraordinarie intumefactus erat, ut ejus repositio, jam nimis tarda, amplius impossibilis esset.

F

Oritur

Oritur autem hæmorrhagia talis à vasis uteri valde distentis atque apertis, in primis in fundo, ubi placenta hæsit, aliquando etiam à disruptis vasis ob vim cum extracta placenta adhibitam. Singulari namque naturæ providentia uterus mox à partu in semetipsum contrahitur, qua sola contractione vasa ejusdem aperta clauduntur; quod, si non fieret, sanguis tanta quantitate & vehementia per vasa uteri dilatata, osculaque horum hiantia exiret, ut pueris hæmorrhagia lethali cœu morte naturali moriendum esset; id quod aliquibus evenisse, salubri hoc naturæ instituto quacunque de causa impedito, tristissimi casus à FRANC. MAURICEAU & LA MOTTE in suis *Observ. Obstetr.* relati abunde comprobant.

§. XXXV.

(3.) Non minus periculum imminet à constrictione uteri per orificio arctiori, hincque cito quandoque metuenda inflammatione. Sicuti GERH. BLASIUS *Miscell. Anat.* p. 502. totum uterum inversum arête adeo à contracto orificio detentum invenit, ut non nisi maxima vi, instrumento per vaginam immisso, sursum retrudi, sive in naturalem locum reduci potuerit. Et FRANC. MAURICEAU *Obs.* 685. fundum uteri inversum à forti constrictione orificii intumescitum adeo vidit, ut repositio ejusdem, primum ex ignorantia obstetricis intermissa, absolute deinceps impossibilis fuerit. Causa vero inflammationis primaria est sanguis præter naturam affluens & in ipsa parte cumulatus: attrahitur vel concitatatur ad partem affectam vel à dolore, vel calore partis nimio ut causa procatarractica, vel remotiori, ut à contusione vel congestione ibi facta. Dum igitur à dicta uteri per orificium constrictione vasa permulta coarctantur, sanguis in magna copia hac affluens, propter impedimentum liberum transitum in his vasis subsistens, ea distendit atq; dolores & inflammationem patit. Quæ hoc promittit oritur, quo humores jam dum acrides magisq; corruptibiles existunt, ut hinc sphacelus non raro succedat. Hæc uteri inflammatio apud Practicos morbus adeo gravis audit, ut paucæ, quas invadit, mulieres, in primis fitatum

tum occupet uterum, evadant teste HIPP. *Lib. 1. de Morb. Mul.* *Seç. 5.* Inprimis si prægnanti in utero fiat erysipelas, lethale est secundum Eundem *Seç. V. Aphor. 43.* Id quod confirmant desuper observationes recentiorum quam plurimæ, quas inter super hac re legi merentur FRANC. MAURICEAU *Obs. 359.* & 394. pluresque alia ejusdem. Quin JODOC. LOMMIUS *Obs. Lib. 2.* p. 207. inflammationem cervicis uteri saltem curatu possibilem, uteri vero ipsius, curationem admirtere plane nullam judicat. Nec mirum, quum uterus sit pars corporis sensibilis admodum, & motibus spasticis præ ceteris valde obnoxia. Symptomata graviora inflammationem uteri concomitantia sunt febris, dolores atroces, respiratio difficultilis, vomitus, convulsio, delirium &c. quæ tandem, si malum non cito profligetur, in mortem terminantur. Rem ipsam HIPP. *Lib. 2. de Morb. Mul.* sequentibus exprimit: si uteri inflammati fnerint, dolor occupat imum ventrem & lumbos, & animo linquitur agra. Quo major tamen vehementia fuerit symptomatum, in primis delirii, convulsionum, singultus &c., hoc magis agra periclitatur. Nonnunquam malum, si diutius duret, procedente tempore, superato & extincto calore naturali, abit plane in gangrenam, adeo ut toti corpori inde labes & interitus immineat. Contingunt hæc in omni utero inflammatu in genere; jam vero ad eundem inflammatum, & juxta propendente inversum, affluxus sanguinis, utpote extractione violenta maximopere agitati, longe major adhuc fit, hinc citius distensio, dolores, atq; reliqua symptomata exacerbantur, citius quoque, ob impeditam librum sanguinis per uteri vas a transfutum, hincque coortam stagnationem ejusdem, à nimis arcta & diutius durante constrictione uteri per orificium, gangrena accidit. In quo assentitur mihi sepius laudatus FRID. RUY SCHIUS: tantus inquisiens *Obs. X.* uplurimum sanguinis est affluxus ad uterum propendente inversum, ut statim inflameretur, induretur, & proper impeditam circulationem gangrenam concipiat; illa vero facile impeditur, cum orificium uteri internum se se contrahens molem prolapsam circulariter comprimat.

Admodum (4.) periculosa quoque est prognosis in perfecta inversione, metu facile supervenientis gangrænæ, ab aeris externi contactu provenientis. In genere quippe parentibus atque puerperis nihil periculosius est, quam si aëri externo citius quam par est, sese exponat: hic enim refertus est particulis variis vasis osis ònis aliisque, unde puerperæ potissimum delicatores maximam sentiunt alterationem. Maxime vero inimicum est frigus externum utero, ut parti delicatori membranoso nervosæ, id quod summo cum damno sæpe experiuntur puerperæ. Ex illo enim vacuum uterum subeunte, hic frigescit, intumescit, sanguis coagulatur, grumescit, & dolores, tortina, anxietates, lipothymia & febres sæpenumero presso pede sequi solent. Caveant igitur sedulo obstetrices, ne parturientes aëri frigido exponant, quin potius muliebria protinus à partu linteis calidis cooperiant. Quæ cum ita sint, & aëris externus tot malorum causa sit, utero in sede naturali altiori persistenti admissus, longe major procul dubio corruptio ejusdem prolapsi & inversi propendens ab ambientis jam circumcirca aëris alteratione fit necesse est. Vasa namque uteri minora coarctando sanguinem in ipsis coagulat, hincque circulationem fistendo, gangrænam, si diutius paulo extra corpus hæreat, facillime infert. Quicquid enim calorem nativum partis destruit, id ipsum etiam causa gangrænæ esse potest; destruitur autem à contrario agente ut frigore, unde videmus, non raro tempore hyberno per nives & glaciem iter facientibus, extrema pedum, manuum, aurem, nares emori. Suffocatur etiam calor nativus prohibita transpiratione libera, hæc autem prohibetur ab ambiente aëre frigido. Sic in magnis inflammationibus, præcipue partes humidas, inter quas uterus primum locum habet, occupantibus, gangræna accedit calore naturali extinto. Hanc autem malum esse gravissimum & plerumque funestum, nulla indiget demonstratione; nisi enim præsentissimo remedio periculo occurrit, brevi in sphacelum degenerat, i. e. pars talis, omni calore naturali uti & pulsu sensuque sensim destituta penitus.

tus emoritur. In uteri autem gangrena periculum hoc magis ingravescit, quo gangrenæ periculosiores sunt in partibus humidis incipientes, quarum calor naturalis à copia humorum abundantie citius suffocatur.

§. XXXVII.

Denique (5.) affectus noster plurimum periculi habet ab atrocibus doloribus puerarum regionem lumbarem occupantibus, convulsiones in aliquibus plane lethales inferentibus. Cum enim in omni uteri inversione, prater dolores à distensione atq; ruptione vasorum uterinorum ortos insuper adint insignes partium connexarum cum utero dolores, lumborum nempe, hypogastrri, pudendorum & osis sacri, exquisiti hi sentiuntur in dorso & lumbis, utpote inducti à ligamentorum extensione violenta, quæ in rudiori tali uteri protractione præcessit, quandoque etiam à fibris illorum solutis & disruptis, adeoque à vera continui solutione. Dolores hi, quo sunt exquisitiores, hoc plus portendunt periculi, quo leviores, hoc magis periculo vacant. Vehementius invalecentes & diutius durantes, nervorum distensionem atq; tremorem inferunt, quibus mox superveniunt convulsiones; omnis enim nervosi generis irritatio, si vehemens fuerit, convulsiones excitare quita est, id quod dolorum occasione & causa quam frequentissime evenire solet. Enormes admodum igitur si sint cruciatus, vel corpora sensu exquisitiori prædicta, ob teneritatem ejusmodi tormenta difficulter ferentia, convulsiones post se trahunt sæpiissime lethales, id quod plura tristia parturientium atque puerarum nos edocent exempla. *Vid. FRANC. MAURICEAU Obs. Ultima Obs. 93. 129. 146. &c.* Quum autem omnis convulsio per se malum sit grave, gravissimum tamen est huic affectui superveniens, ubi subitam utplurimum minatur mortem.

§. XXXVIII.

Periculosior longe est perfecta inversio quavis imperfetta, hinc illa quam citissimam requirit reductionem, quæ hoc

F 3

diffici-

difficilior est, quo major uteri pars extra corpus propendet: imperfæta vero inversio facilius reducitur, & diutius, adeo lethiferis non tam cito stipata symptomatibus, ægrotæ spem restitutionis integrum relinquit. Hæc itaque per se & absolute lethalis non est, diutius tamen si persistit, cum dolore febri, convulsione aliisque gravibus symptomatibus, puerperæ funesta est. Illa vero in præsentissimum vitæ periculum conjicit puerperas teste FRID. RUY SCHIO in *Advers. Anat. Dec. 2. p. 35.* referente: se puerperas, ex violenta placenta educatione cum subseguente uteri inversione, mortuas vidisse simulac in lectum fuerint reportatæ. Coincidit enim plerumque hæmorrhagia largior, brevi orificio uteri internum arcte se contrahens molem substantia prolapsam comprimit, unde circulatione sanguinis in hac parte imminuta & tandem penitus sufflaminata, dolores atroces, inflammatio, febris, gangræna, sphacelus facile succedunt, uti in superioribus fusibus hæc descripta dedi. Unica ergo hæc spes salutis in inversione uteri perfecta supereft, nempe ut ipso elapsus tempore hic è vestigio reponatur in sedem pristinam, antequam ab aëre externo alteretur, vel à compressione orificii inflammetur atque intumescat. Hac ratione fanatas fuisse feliciter puerperas malo hoc affectas, testatur Laudatus FRID. RUY SCHIUS in *Advers. Anat. Dec. 2. p. 37. & 38.* Econtra hac repositione non tempestive satis instituta, orificio scil. uteri adhuc aperto atque hiante, breviori temporis intervallo admodum difficilis evadit, quandoquidem ocsimne inversi uteri vi extracti intumescentes indurescunt, tumque vix ullum artis auxilium locum amplius invenit. Communiter tamen ex ignorantia obstetricum quin & chirurgorum, momentanea hæc repositi differtur vel negligitur, hinc culpa illorum plurimas hoc malo affectas periisse FRID. RUY SCHIUS præ reliquis conqueritur, satisque multi casus tristissimi idem confirmant, qui legi possunt apud FRANC. MAURICEAU in *Obser. Obstetr.* & alios plures.

Expositis quæ ad inversionis uteri theoriam faciunt, e-
jusdem genuina cura nunc tradenda venit. Hæc generaliter
quævis remedia externa æque ac interna respuit; sola vero
operatione manuali absolvitur. Initio autem duabus pri-
mariis indicationibus (1.) uterus è sua sede prolapsus & in-
versus in eandem lege artis reponendus. (2.) Repositus in
suo loco omni modo continendus est, ad quem duplarem
scopum omnis opera Medici & Chirurgi tendat oportet.

§. XL.

Operatio manualis differt ratione inversionis: Perfecta
si adsit, ac uterus propendens temporis mora jam nimis in-
tumefactus reductionem respuat, prius linteis duplicatis, vel
sole lacte tepido imbutis, vel decocto emolliente calido, v.
g. ex rad. alth. lil. alb. flor. cham. melil. sambuc. achyper. in
lacte vaccino recenti coctis, parato, fovendus est, donec
detumescat, sicque repositioni aptus reddatur, quæ postea
provide suscipienda est. Ne autem intestinum rectum, faci-
bus forsitan vel flatibus repletum, aut vesica urina turgida, re-
nixi suo repositionem, ob spatium, quod uterus occupare
debet, angustius, difficilem reddant, puerpera admonenda
est, ut alvum sine omni tamen valido conatu deponat, &
vesicam exoneret, quod posterius dum sit, uterus propendens
molli linteo duplicato, tepido lacte vel priori decocto, ebrio,
tegendus, ac contra urinam profluentem defendendus est.

§. XLI.

Dehinc ægrotæ in situ convenienti locata decumbat su-
per dorsum supina in lecto & quidem transverse pro facili-
tanda operatione, coxis & natibus elevatis, capite vero hu-
merisque magis demissis; genua habeat sursum attracta, pa-
politibus scil. reflexis, retractis ad nates calcibus, cruribus
divaricatis & diductis à se invicem, in quo situ à duabus
personis detineatur.

§. XLII.

§. XLII.

Postea uterus in vaginam ita retrudatur, ut primi post pollicem, tres digiti, non versus medium uteri propendens, quia hic, ob figuram quam habet pyriformem, ibi pressio nimis resistit, sed versus inferiorem & intestinum rectum respicientis uteri partem adigantur, horumq; pressione leni ac miti, primo inferior, postea media, demum superior propendens uteri pars, in vaginam pedentim reducatur.

§. XLIII.

Quo facto nihil supereft, quam ut imperfectam uteri inversionem tollat obstetrix. Hæc iisdem digitis, eadem cautela, per orificium in ipsum uteri cavitatem reponenda est; cum vero orificium arctius ac validius quam sphincter vaginæ, fundum uteri propendentem amplectatur, repositio hæc plus temporis ac patientiæ quam prior requirit. Fundo sic in sedem naturalem redacto, tandem uterus è medio vaginæ pendens, eadem ratione, sine omni violentia, per vaginam satis laxam, quantum possibile, sursum ac introrsum pellatur, ægra interim spiritum quasi attrahente, ac inspiratu aëris operi favente.

§. XLIV.

Postea cum dorso manus per orificium hians in uteri cavitatem immissa, quævis circa fundum uteri restitans plica aut inæqualitas, uteri pressione versus exteriora, plana reddatur, uteri fornice naturali simul rite restituto.

§. XLV.

His opportune peractis contenti in cavitate uteri grumi sanguinei per vaginam educantur. Notum enim est ex praxi obstetricali, puerperas sæpe sàpius tormentibus ac doloribus à partu vexari, similibus partus conatibus, quasi alter fœtus esset excludendus, idque non alia de causa, quam à concreto tali grumosoque sanguine relieto, quem natura per vias non satis patentes amplius extrudere laborat. Quæ incommoda

moda tamen præcaventur, siquidem statim post editum infantem chirurgus vel obstetrix manum immittat in uterum late patentem, atque post extractas secundinas, grumos sanguinis, particulas carnosas, membranaceas &c. in cavitate uteri restitanta provide educat.

§. XLVI.

Ultimo manus in pugnum redacta tamdiu in medio cavitatis uterinæ detineatur, donec uterus ab omni latere se se contrahens propriam cavitatem ita coarctet, ut manum educere necesse sit. Accidit tamen, ut uterus ita repositus interdum adhuc induratus, & fibræ ejusdem nondum satis platiciles rursus redditæ sint, ubi non nisi pedetentim ac post temporis momentum elapsum se se in semetipsum contrahit; tumque frustraneum foret, si quis, manu in cavitate uteri relicta, hujus coarctationem exspectaret. Tandem, manu usque in vaginalm retracta, eadem hic quæ in utero peragenda sunt, inæqualitates nempe planæ reddantur, omnibus simul vel peregrinis vel inutilibus circumspete exemptis.

§. XLVII.

Uterus inversus postquam sic omni industria & arte convenienter fuerit repositus in locum naturalem, ad alterum scopum implendum, ut in hoc situ contineatur, unice respiciat Medicus necesse est. Hanc vero uteri retentionem Practici, procientiz uteri curam in genere tradentes, passim juvare atque confirmare moluntur per medicamenta adstringendi vaginalm, uterum & ligamenta roborandi vi polentia. Hinc alii decoctum gallarum in aqua ferrata factum per syringam in uteri cervicem injiciendum suadent, alii fumum steroris bovinæ siccati carbonibus impositi utero excipere jubent, rursus alii genitalia decocto adstringente, ex cortice granatōrum, nucibz cupressi, gallarum, alumine rochz, (rupeo) cauda equina, sumachio, bacc. berber. in aqua fabrorum incoctis, parato fovent, vel fotu metropototico THOM. SYDENHAMII, ex meris stypticis factō utuntur, nonnulli de-

G

nique

nique emplastra varia ventri, lumborum & pectinis regioni imponenda parant, & quæ hujus generis plura sunt. Ast hæc omnia sæpe sapius frustra adhibita fuisse experientia testatur, sola vero pessaria in primis in malo inveterato optimum tulisse auxilium; sin vero recens adhuc fuerit, ne his quidem opus fuisse semper, constat. Utrisque igitur in descripta præcidentia specie inversione scil., recente non nisi curationem admittente, supersedere licet, quum sola quies & contractio uteri naturalis cunctem in sede sua sufficienter retineant. Decursu enim temporis uterus repositus cum ligamentis suis, à vi externa pridem adhibitæ plus justo laxata & extensa, denuo se se contrahunt, fibrae eorum in seiphas redunt, tonumque suum & elaterem antea amissum recuperant, atque hac ratione uterus in sede sua ex voto consitit.

§. XLVIII.

Hoc scopo porro ægrotæ per plures dies, cruribus extensis atque complicatis, ita ut alterum alteri incumbat, coxis paulisper elevatis, capite vero declivi, in lecto supina decumbat. In quo situ se se contineat corpore & animo summe quieta & tranquilla, remota ab omni strepitu & clamore, unde quies ejus turbari queat. Imo non multum præcipue alta voce loquatur, neque etiam quantum fieri potest sternutet, vitando omnia quæ tusim concident. Par ratio est nisi sum aliorum v. g. in deponenda alvo &c. quos quantum in se est supprimat, ne scil. abdomine compresso uterus deprimatur. Affectus animi nimios, terrorem, macorem, iram, risum & gaudium effrenum, quæcumque his ansam dare possint, sollicite vitet. Reficiatur somno & colloquiis blandis erigatur, animum enim pacatiorem ad morborum curationes plurimum conferre noto notius est. Denique ægra calore blando, lesti in primis, foveatur, cavendo frigus sedulo, nec nisi post mensem integrum lectum penitus derelinquat.

§. XLIX.

Ne quid autem præter diæta desideretur à Medico, non nulla in diæta probe observanda paucis adhuc subnectam.

Victus

Victus ratio mollis & humida sit oportet, ne in excernendis
facibus duriori conatu opus sit. Hinc agra cibo & potu te-
nuiori, reficiente tamen, nutriatur: cibi sint boni succi ac
eupepti, ut juscula carnium, item juscula e tenui & defac-
ta cerevisia cum butyro recenti, ova sorbilia, quo victus ge-
nere agra primis diebus contenta sit oportet. Postea carnes
pullorum gallinarum caponum, vitulinae hædinæ concedan-
tur. Potus commodissimus sit cerevisia, vel aqua cocta cum
modico cinnamoni vel semine coriandri, attamen tepidus,
ne tormina ventris excitet. In utroque tam cibo quam potu
mediocritas observetur, nec post magnam evacuationem sta-
tim ad plenum victum properetur, neque mulierculis impe-
ritis permittatur, ut subito agram cibo & potu nimio infar-
ciant, cum ob vires ex hemorrhagia penitus dejectas magna
cibi copia coqui rite nequeat, quare victus non nisi sensim
sit largior & plenior.

§. L.

Interea curæ sit medenti, ut alvus sit aperta vel natura
vel arte: intestina enim facibus infarta locum utero non
faciunt sed magis expellunt, quin conatus egerendi uterum
ad inferiora magis detrudunt, quale quid ne sub duriori mi-
stione fiat, urina quoque crebrius mittatur. Quodsi igitur
natura alvus sit segnior, arte aperiatur scil. clysteribus. Sunt
equidem, qui clysteres in gravidis & puerperis plane rejici-
unt, quasi ab iis & uterus comprimatur, & natura ad excre-
tionem minus opportune stimuletur. Ast in minori quan-
titate injecti, ex iisque parati, qua meram emolliendi leni-
endique vim habent, incommoda facile evitantur omnia.

§. LI.

Coronidis loco virium ex hemorrhagia amissarum justa
habeatur ratio, quas optime restaurat usus lactis asinini. In
hunc finem agra quotidie mane per tres vel quatuor heb-
domadas hujus lactis mensuram dimidiad *Germanis* einen


F 2

Schop,

Schoppen dictam, pauxillo sachari edulcorati bibat, & vesperi, antequam somno se det, pulverem ex ocul. \mathfrak{S} corall. v. in aqua temperata veronic., charefol. scabios. vel in emulsione ex amygdalis prata sumat, quali amygdalato tenuiori pro potu etiam ordinario utatur. Praterea cum cena paululum vini burgundici, quod leniter adstringit & roborat, cum pane biscocto sumat, atque durante curatione à coitu proflus abstineat; Quibus debite administratis, omnia ex voto plerumque cedunt; si vero quidquam sinistri præterspem superveniat, ei, ut par est, ex fonte suo occurratur.




S. D. G.

F I N I S.



Viro Juveni nobilissimo atque expertissimo
DOMINO
CONRADO VVESENFELD,
Amico suo suavissimo
pro gradu doctoratus in medicina publice
disputanti
ελωναρδιως congratulatur
C. A. à Bergen, Med. Prof. Extraord.

Ergo ne tam festum possum dimittere Solem,
Quô Tibi pro meritis crescit honor titulis
Laurigeros potius cauto, CONRADE triumphos,
Quos Lucina Tibi praeparat ipsa Juno.
Est aliquid magnum coluisse fideliter artem,
Est vitam dextrae credere magna salus.
Subtilem nosti partum moderarier artem,
Ut genitrix superet, nec soboles pereat.
Ait non exili pretio divendidit Almus
Hippocrates quondam munera tanta Tibi;
Quot memini curas, quot non discrimina rerum,
Quum certe in noctes sâpe caleret opus.
Sed nunc pro vigili, juvenis perdocte, labore
Hygeæ merces, publica ferta capis.
I nunc vive diu, nec parce labori,
Servitio dextro suave genus redimas.



Nre Sartur wachsigende sind die schattigste
DOMINO
CONRADUS AERENTIUS
bio drittu doggostus in medicina hyspico
gibberance
gymnase
G V & Bergey May 1905 Extraord
Elo se taw festum bockum dimitiss' golem
Gag Tidi bio mowrie celeri poset illi
Iustitiae boemis cruce CORVARDUS HEDYLO
Oros I nios Tidi biscepsit ibis lino.
Tf studiun mszium coniungyndemt s' taw.
Hf aviam dextre clegete ussus i' taw.
Sapientia noui patrum medicinae docere.
Uf Genitrix tubercle nec topoces docere.
Aif non exili pectora givendibit Almire.
Hippocrates donatus moneit p'ris Lidi
Qut' mesini curas dicit non q'p'c'm'nta
G'ntu certe in nego' f'ne q'f'c'nta obre
Seb' nunc bio v'p'li' lacu'nes dec'g' p'p'ole
H'c'ee' m'c'ee' b'p'p'ole j'or' a'bz'
I' n'c'e' a'le' q'li' n'c' p'p'ole
S'c'at'io' h'x'to' i'v'c' e'c'ns' t'q'p'is'

305

306


307

01 A 6560



56.

1577



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

27
27

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
INVERSIONE UTERI.
QVAM
CONSENSU ET AUTORITATE
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN ACADEMIA REGIA VIADRINA
SUB PRÆSIDIO
DN. JOH. GEORGII à BERGEN,
MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.
p. t. FACULTATIS MEDICÆ DECANI
PRÆCEPTORIS SUI OMNI HONORIS CULTU
PROSECVENDI,
PRO GRADU DOCTORATUS
SUMMISQUE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS RITE ET LEGITIME
IMPETRANDIS
DIE XIV. NOVEMB. MDCC XXXII.
HORIS CONSVETIS
IN AUDITORIO MAIORI
DEFENDET
AUCTOR
CONRADUS WESENFELD,
Francofurt. Marchicus.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
Litteris TOBIAE SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.